



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XX. Hortatur ad mortificationem sensuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

& in æternæ salutis ingressu, vel progressu carnalium parentum blandimēta, consiliaque vitate. Et ego suscipiam vos, quasi fidelissimos amicos, & suauissimos fratres meos. Pater meus, pater vester erit, & erit mater vestra, mitissima Virgo, quæ genuit me.

CAP XX.

Hortatur ad mortificationem sensuum.

ATTENDITE filij, quæ dico. Sensus, & cogitatio hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Propterea, necesse est, vt mortificationem meam, in corpore vestro, semper circumferatis: Equus enim effrænis in abundantia virium suarum non saluabitur. Castigate sensus vestros, quasi iuenculos indomitos, ne forte legem mentis transgrediamini. Nec durum vobis videatur oculos cohibere, ne mors intret per fenestras, & osium circumstantiæ ponere labijs vestris, ne verbis indisciplinatis me offendantis: placebitis enim mihi valde, & pro visus mortificatione, videbitis lucem

lucem splendidissimam, quam videbat Tobias, & Isaac, postquam caligauerant oculi eius Pro labiorum verò custodia, docebo vos dulcissimum sermonem meum, qui linguas infantium facit disertas. Certè sancti mei, qui regnum cælorum violenter rapuerunt; sensibus suis, quod volebant, constantissimè negarunt: & facti sunt custodes lectuli Salomonis, tenentes semper enses districtum, contra femur suum. Sensuum enim pugna nunquam intermittenda est, si salui esse velitis, ne pereatis, vel à sagitta iracundiæ volante in die, vel à negotio impuritatis perambulante in tenebris, vel ab incursum ambitionis, seu dæmonio meridiano. Nullus locus, nullum tempus, quamdiu mortales estis, à sensuum prælio immunis est: ne igitur salutem vestram æternam contemnatis. Et quidem extremæ dementiæ est, sinere sensus vestros duci in æternam captiuitatem: cum possitis per modicum laborem, & mortificationem, infinitam consolationem eisdem sensibus, in cælesti regno meo, superuenturam comparare.

Quid

Quid quæritis delectationes impuras?
Ad vera potiùs, & æterna gaudia, breui
luctu, suspirate.

Cap. X X I.

Monet mortis memoriam.

VTINAM Filij Adæ saperent, &
intelligerent, ac nouissima pro-
viderent; Vtinam & vos, qui non vide-
mini repellere consilia mea, sæpe, ac
serio cogitaretis, qualis anxietas in
hora mortis ventura sit. Certè mundi
desideria statim euanescerent, nequè
in æternū peccaretis. Omnes ad mor-
tem velociùs, quam à texente tela suc-
ciditur, properatis, paucitasque die-
rum nimis breuium finietur breui: &
tamen mortis vix vnquam recordami-
ni. Palatia sumptuosa, promptuaria
plena, filiarumque vestrarum circumornata,
vt similitudo templi, aperte demon-
strant, quid inter vos ipsos meditemi-
ni. Quid scitis, an prima, an media no-
cte, an galli cantu, venturus sim, & in
virga directionis rationem vitæ peti-
turus? Ego dinumero gressus vestros,
& tanquam in sacculo, signo debita ve-
stra,